



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Ferdinandum Furstenbergium. De Thynni capite dono misso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Usque sed eximiè dilecti Phœbus ab alto
Nobile in obsequium Principis ipse venit.

A D

F E R D I N A N D U M
F U R S T E N B E R G I U M .

De Thynni capite dono missò.

Misisti mihi, Ferdinande, munus
Magnum, Juppiter! atque sumtuosum:
Sed magnum quod amiculo immerenti
Næ malum dedit, ac repentiè vivum, &
Videntem, propè ad incitas redegit.
Nam dum religio mihi, quod abs te
Tuisque è manibus venit, minuta
Ferro in frustra secare, nec puto fas
Tam cari capitis perire formam,
Et simul meditor frui beato
Lætus munere, & unctiore cœna;
Ære mi fuerunt paranda grandi
Arma, vasaque grandiora, molem
Tantam quæ caperent, focoque & igni
Admotam coquerent, tripus, ahenum,
Lancesque, & patinæ, paropsidesque.
Tum quæ silva lari advoluta! quantus
Incendit modicos rogos penates!
Quanta, heu, diluvies profusi olivi
Ferclum immanè super! lucerna tantum
Nostra vix biberit decem per annos.
Proin tu, cùm tibi monstra belluofus

Mit-

Mittet Oceanus, vagique fluctus
 Hæc ad litora verterint tremendum
 Balenæ spatium, memento turpe
 Destinare aliò caput, docendus
 Fortunam, & loculos breves amici
 Metiri pede veriore. non hæc
 Decent munera pauperem culinam.

A D E U M D E M,

Die ejus natali.

O Ctobres salvete Idus, lux sacra: Maronem
 Quæ fudisti auras prima sub ætherias.
 Tuque adeo mihi lux salve, quæ proxima surgis:
 Lux mihi natali sanctior usque meo.
 Unde sibi reduces apponit & ordinat annos,
 Et signat niveis tempora læta notis,
 Æmula divino condit qui carmina Vati
 Fernandus, Musâ proximus, ut genesi.

VILLA OSTIENSIS
SACCHETTÆ FAMILIÆ.

Urbis in antiquæ, nitidi non indiga cultus,
 Villa solo, ad primum continuata mare,
 Hinc Romam, adversæ cineres Carthaginis illinc
 Prospecto, & Tyrii diruta regna ducis.
 Neq̄ facies animos aufert mihi proxima tantum,
 Litore ab opposito gloria quanta venit.
 Fastidit si Roma, procul miratur, & optat
 Invida delicias Punica terra meas.

S O.